

... et p...
... ex...
... **Q**u...
... qua...
... fenu...
... pmanes...
... ganat...
... **Q**u...
... tris...
... filii...
... ne...
... nobis...
... **Q**u...
... **ne se po**...
... qu...
... no du...
... inoce...
... **Q**u...
... **Q**u...
... **Q**u...

Hic s. Conuenientia
nobis unum in hoc est
dumca cena m...
q... eni sua cena p...
admanducadu. Et alii quide
esurit. alius aut eius est
Nunquid domos no hēns ad
manducadu. et bibendu. et
ecclesiar di coceptans. et co
suidius eos qui no habe
Qd dicit nobis. Laudo uos
in hoc no laudo. Ego eni ac
cepi a dno: qd et tradidi uob
qm dñs ihc in q nocte tē
bat. accepit panes et gras
ages fregit et dixit. **H**oc e cor
pus meū qd pro uob tē
hoc facite in eā cōmēnatio
ne. **S**umit et calicē postea
cenauit dicens. **H**ic calicē in
uū testamēti ē in ea saque

83
88
Pro nuptiali sacro
ORNATISSIMI
VIRTUTE, AC DOCTRI-
NA IUVENIS

ATHANASII FABRI,

CVM

Honestis. optimeq; morata virgi-
ne CATHARINA, clarissimi viri Dn.
AMBROSII PORSTORFII, Philosophiæ ac
Medicinæ Doctoris, & dum fata, Deusq; sine-
bant, apud Cizenses Physici,
relictâ Filia,

24. Ian. Ann. 1787. celebrato.



280
LIPSIÆ,

IMPRIMEBAT IOANNES
STEINMAN.

VT aureus, ridens dolum, superbiat
Cupido, cernis, cum parente, vincula
Connubio tuo explicans, vir optime?
Ut quærereres quandam tibi puellulam,
Cui dicere audeas, places mihi vnica,
Est sæpe te sodalium hortatus chorus,
Cælare quem nihil solebas, plurima
Quæ cum tibi collata suntq; seria:
Iuuat quid esse tam diu absq; coniuge?
Quid, quò vocat natura te, cessas sequi
DEVSq;? quare non iugo vis subdere
Molli tuum collum? sit vxor nomet
Quæ pulcra te suum maritum, & gaudium:
Sit & tuum quam cor, tuumque mel voces
Istque paruisse te, haud fallacia
Sunt signa, nodus in tuo quod collo inest:
Es captus, & quæ cuncta tecum tempora
Vitæ exigat, cubile Sponsa intrat tuum.
Hanc cum tibi congratulentur optimi,
Dulcesque amici rem, precando prospera
Tedis tuis: quæ vota concipiam? meum
Quo gaudium testabor ipse carmine?
Non expedit, Patris, polum qui condidit,
Terram, mare, & quæ continent hæc, vox sonat,
Homo vt solum solus colat: Quòd & DEO
Obtemperans, qui cuncta nouit, maximo,
Virtute maecte Sponse, sacrato tibi
Iungis tori castam puellam foedere,
Viroq; quòd Catharina nubis optimo:
Estis beati ter, quaterque & amplius.
Vxoris est decus maritus, & bona
Leuamen est, vxor viri ac solatium.

Nam

Nam sanxit hoc, vt vna sint caro, D E V S,
 Et vna mens, viuantque in vno lectulo.
 I turba quæ faces maritas improbas
 Procul, gerens rasum caput, nec dicere
 Vereris has habere crimen impudens.

At Sponse gaude, Sponsaq; intra pectora,
 Nam vitæ initis quod D E V S iussit genus
 Inire, qui mandauit esse coniuges,
 Cum iungeret, quos tum duos creauerat,
 In horto Edenio Euam Adamo coniugem.
 Opus Parentis hoc sui non destitit
 Fouere C H R I S T V S : Nam poli cum sidera
 Reliquerat, iussu Patrisque sumserat
 Ossa atque carnem, in urbem cum sodalibus
 Sese intulit Canam, vocatusque est ibi,
 Vt interesset nuptijs, comitum & chorus,
 Ornare vellet has sua præsentia :
 Addictus est qui nuptijs adest dies,
 Et vndique hospites vocati confluunt,
 Venitq; C H R I S T V S cum suis Apostolis:
 Dies mero morans amicis frangitur,
 Verùm capaciora ponere pocula
 Postquam iuberent: Ecce vinum deficit.
 Tum C H R I S T V S vt sibi placere ostenderet
 Castum torum, vndas vertit in rubrum merum,
 Tali nouas donatq; Sponsas munere.
 Nec non sacer Flatus, Patri qui Filium
 Amore iungit, in pijs exuscitat
 Ignes, vt ardeant amore mutuo
 Maritus, & quæ facta consors est tori.
 Ad hæc sacratis iura sunt curæ Angelis
 Iugalia, ac amare castè comprobant:

A 2

Asmodeus

Asmodeus septem necauerat viros,
Connubio queis Sara iuncta erat pia:
Sed quòd Tobiaë, cui puella nupserat
Eadem, nequiuerit mali astus dæmonis
Nocere, munus id tuentis Angeli
Fuit, Tobiam cui D E V S mandauerat,
Cùm Sponsus in preces pius descenderat,
D E O q; vota Sponsa soluerat sua:
Vt hostem eos contra malum defenderet.
Hos hospites & Sponse cum Sponsa tua
Pia vocate ad nuptias vestras prece,
Sic cum Parente C H R I S T V S atq; Flamine
Sancto, sua præsentia ornabit tori
Sacrum, secundabitque conatus bonos:
In vina vertet ipse lymphas dulcia
Vestras: licet multis malis prememini,
(Solent enim esse mixta lætis tristia) “
Parandus vt sudore sit panis graui,
Trahenda sint labore mista & pocula:
D E V S tamen leuabit illa maximus,
Et omne commutabit infortunium
In gaudium, dabitq; tanta munera,
Pijs potest præbere quanta maxima
Sponsis. ministrabitq; mensæ pignora,
Quæ gaudium, decusq; erunt vobis, D E I
Nomen ferentq; cœli ad astra laudibus.
Idem Angelos mittetq; vobis cœlitis,
Vt pronubi sint atque præferant faces,
Custodiantq; vos malis ab omnibus.

Hæc cuncta vobis mente tota comprecor,
Optans, vt expleatis annos plurimos
Vitæ, diu perduret inter vos amor,

Vitam

Vitam vt colatis hic piè in concordia,
Tandem poli feratis atque gaudia.

*Simon Denner Mittuueidensis.
Cizij Verbi diuini minister.*

ALIVD.

SI N T licet quæcunq; velint subinde
Fata, quæ turbent agitentque vitam,
Imperat fatis **D E V S**: huic studeto
Tu modò semper placuisse, solus
Cuncta, qui iusta trutinat, bilance,
 Irrogans pœnas sceleri, salute
Sed capeffentes sua iussa, donans.
Teque ne pœnæ maneat, sequaris
Quod genus vitæ probat ipse **C H R I S T V S**,
Quod nec obscœni, vagus error, ignis,
Nec scelus, nec dedecorat, libido.

 Quæ probatur vita **D E O**, hanc Adamo
Præcipit dicens: Nisi solus Euam
Diliges solam, sociam, maritam.

 Miror at sensus quis adegerit te
Mentis aut error, sociam requiras
Vt tori, non, Sponse, queo tacere.
Haud enim nescis, titulos iniquos,
Fœderi quosnam dederit marito
Comicus, metro hoc vt & ipse quondam
Nuptijs nostris benè suggerebas:

A 3

Nempe

Nempe quod moles sit onusq; rerum
Indigo, litesq; ferat, domum nec
Non suam rixis male turbet, vxor.

Diuiti vero labor extet ingens,
Quæ Lares extra gerat altiores
Spiritus, fastu nimioq; cultu.

Quod Menandri nec moueare dicto,
Qui, loco quocunq; sit vxor, omne,
Vult, malum, quod contineatur, illic.

Pessimam rerum Sophocles vocat rem,
Qua fuit nec deterius quid vnquam.

Quid? quod audax Antiphanes, malorum
Dicit extremum, sociale sacrum.

Ast vtut se res habeat, mereris
Iure laudem, posthabitis decenter,
Sponse, qui nugis, petis, hanc, Adamus
Quam D E V S vitam, iubet, vt sequatur.

Ergo, solamen veluti parenti
Præstitit primo, misero tulitque
Eua: Sic & Sponse tibi ferat post
Sponfa, (quæ Nymphas dominatur inter,
Gratia, lingua, facie modesta
Sola) lenimen, simul & leuamen
Omnis ærumnæ dubijque casus.

Hanc Athanasi Faber ipse molli,
Sponse, complexu foueas, sinuque
Sponfa, tu Fabrum foueas amante.

Sera sic vobis veniat senectus,
Nestoris qualis fuit aut Sibyllæ,
Atque felices numerate, multis
Seculis, sic pignora multa, lecti.

D I S T I -

DISTICHON ANNVM NV-
PTIARVM CONTINENS.

Septem annos, lustris super adde bis octo, trecentis:
Sponse dabunt annum, quo tibi nupta venit.

*Valentinus Reichenbach Mittuuei-
densis, Scholæ Cizensis Cantor.*

A L I V D.

GAza caduca fuit Cræso olim magna voluptas,
Quæq; dat auriferi munera Lympha Tagi.
Cuncta sed hac tenui veluti pendentia filo
Legitimi superant gaudia vera tori.
Felices igitur, quæis fœderis autor honesti
Pronuba fatalis vincula portat Hymen.
Horum etenim aspirat cœlestis gratia rebus,
Præsentemq; domus sentit adesse Deum.
Quid memorem? thalami sua sub iuga colla reponens
Ditior, ac auro Lyde superbe tuo.
Ergo quod hoc vita genus eligis, obuia castis
Cura Dei euentus ad tua vota dabit.
O Sponse Ausonias multum celebrate per oras,
Qui vario cultum munere pectus habes.
Ardua qui sacri superando cacumina montis
Pegaseo hausisti pocula fonte diu:
Munus habes, regum gemmas quod vincit, & aurum,
Et quicquid rubri voluit arena maris.

Quanta

Quanta tibi tacitum pertentant gaudia pectus,
Cum sponsæ probitas, cum subit oris honor?
Corporis in cultu, gestuq; modestia lucet,
Et decus, & ratio dictaq;, & acta regit.
Hæc non virtutum speciem modo præbet inanem,
Gestibus externis fasq;, piúm; colens.
Agmine sed pectus virtutum, & luce refertum est,
Qua duêtrice colit nocte dieq; Deum.
Ac alias tantum superat pietate puellas,
Quantum Pleiadum Gnosia stella faces.
Qualis ab Eois nitidum caput exerit undis
Lucifer, & noctis nubila mane fugat.
Sic quoq; virginei flos, exemplumq; pudoris
Sponsa subit thalamum, Sponse, pudica tuum.
Sis felix, faueatq; tuis concordia votis,
Mella fluant thalamo, lacq; merumq; tuo.
Nunc age deuoti florem decerpe pudoris,
Et cape concessi gaudia grata tori
Nupte vale, inq; tuæ felix gremio CATHARINAE
Gaude, & perpetuum rursus aue, atq; vale.
FATA Dei rata vota velint, ut sydere dextro
Plurima de vestro crescat oliua toro.

Georgius Stieglitz
Cizensis.

F I N I S.

aut emissa voce magna ex
piravit **ps. nr.** Et uidi ce
phi lassu e' in duo. alio me uita
deorsu. Vides aut e' in quo
exadulo stabat. ga sic clamor
expirasti ait. Ver. hic homo
di filius erat. Erat aut e' in
heres de lege aliter. Me
qs erat in. Me. Me. Me.
et maria. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
Et cu' e' in. Me. Me. Me. Me.
eu. et misit. Me. Me. Me. Me.
miser q' h'ent. Me. Me. Me. Me.
ultra. **ex.** **E**rat
seru e' in. Me. Me. Me. Me.
erat qd e' in. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
me adpysate. Me. Me. Me. Me.